

DECRETUM

SALUBERRIMÆ FACULTATIS PARISIENSIS,

De Libro, M. LUDOVICI-JOANNIS

LE THIEULLIER,

CUI TITULUS,

OBSERVATIONES MEDICO-PRACTICÆ

PARISIIS 1732.

LATUM DIE MERCURII QUINTA NOVEMBRIS 1732.

M. Hyacintho-Theodoro BARON, Decano.





ANNO Domini ſuprà milleſimum ſeptingenteſimo trigeſimo ſecundo, die Mercurii quinto Novembris, horâ poſt meridiem tertiâ, legitimè ut moris eſt, & per juramentum congregata fuit ſaluberrima Pariſienſis Academiæ Facultas, auditura relationem Clariſſimorum Doctorum quibus demandata fuerat Provin-

cia examinandi Libellum cui Titulus eſt: *Magiſtri LUDOVICI-JONNIS LE THIEULLIER*, Doctoris Medici Pariſienſis, Obſervationes Medico-Practicæ, Pariſiis 1732, atque ſuper Clariſſimorum Virorum relatione deliberatura. Examinatores retulerunt Facultati.

1°. In hocce Libello fallacem & exitioſam faciendæ Medicinæ methodum contineri.

2°. Receptas & uſu comprobatas huc uſquè Praxeos Medicæ leges in eodem Libello imperitè perverti, malignè depravari.

3°. Præfationem hujus Libelli temerariam & mendacem, Tyronibus inſidioſam, non huic Facultati ſolùm & ejus doctrinæ, ſed & præſtantioribus cujuſlibet ævi regioniſque Medicis eſſe injurioſam.

Quibus auditis, re in delibrationem miſſâ, collectiſque omnium Doctorum ſuffragiis, Facultas, ut non minùs publicæ Civium ſaluti, quàm Tyronibus informandis conſuleret, CENSUIT,

1°. Improbandum eſſe Libellum M. Ludovici-Joannis le Thieullier, eumque cenſurâ ſuâ notandum eſſe judicavit.

2°. Cùm non ſemel à Facultate decretum fuerit, pluribuſque ſupremæ Curiæ Senatûs-conſultis vetitum, ne quis Collegii Medici Pariſienſis Doctor, ullum in lucem emittat de Medicinâ Librum inconſultâ Facultate, ſtatuit iterùm hoc Decretum renovandum eſſe. Intereà monendum M.

Ludovicum-Joannem le Thieullier caveat in posterùm ab edendis in lucem ullis de Medicinâ Libris inconsultâ Facultate , nisi malit nomen suum ex Doctorum albo expungi.

Denique ut omnibus urbis & orbis incolis notum sit quanto studio publicæ Civium utilitati, Tyronum informationi, suisque Doctoribus in officio continendis invigilet ordo saluberrimus, præsens Decretum publici juris faciendum esse voluit, valvisque Doctorum & in Compitis citò citiùs affigendum : Et sic conclusit.

H. T. BARON, Decanus.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1732.